



**R. P. Martini De Esparza Artieda, Navarri, Theologi Societ.
lesv, Cvrsvs Theologicvs**

In decem Libros, & duos Tomos distributus, Ivxta Methodvm, Qva In
Scholis Societatis Iesv communiter traditur annis quaternis

Continens Primam Partem, & Primam Secundæ D. Thomæ. Ad Alexand.
VII. Pont. Max.

Esparza Arteida, Martin de

Lugduni, 1666

XXXIV. Vtrum Spei conueniant definitio, & proprietates proportionales
Fidei?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94815](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94815)

humana, ut maxima bona desiderantur magis, simulque superentur minus, quam minora bona: atque è conuerso sperentur magis, minusque desiderantur bona minora; quia ad hæc facilius, & pluries datur bona dispositio in causa, ex qua prouenire possunt. Ergo neque in spe diuina, neque in humana habent rationem motiui spei bona sperata vlla ex parte. Idipsum obseruari potest in vsu metaphorico huius vocis: Neque enim sperantur fructus ex arbore, quia sunt boni; sed quia bona est dispositio arboris ad eos ferendos, atque hæc dispositio est adæquata mensura spei. Nullum namque est augmentum, vel decrementum spei ex bonitate maiori, vel minori fructuum, sed ex sola meliori, aut minus bona dispositione arboris. Atque vniuersum motiui sperandi est dispositio præsens eorum, quæ sunt absentia; atque adeo totum motiui sperandi est præsens, & quæ sperantur sunt absentia. Ergo beatitudo formalis, aliæque bona sperata, neque partialiter continentur in motiui formalis spei, tanquam constitutiva ipsum intrinsecè. Patet verò ex discursu facto nihil quoad hoc interesse, quod ea bona dicantur includi in obliquo, seu ut quo, dummodo prouenire debeant ab illo ex quo sperantur, sintque proinde obiectum formale desiderij.

Art. 3. Eadem ratiocinatione refelluntur, qui spei attribunt duos fines alium *qui*, alium *cui*, dicentes finem, *qui* speratur esse summum bonum, quod est Deus; & finem *cui* speratur, esse ipsum sperantem; vtrumque verò finem habere rationem motiui formalis; Licet finis *qui*, sit motiui præcipuum; Id quod putant sufficere, ut spes sit virtus Theologica: hi, inquam refelluntur eadem ratiocinatione, quia mensura spei est sola bona dispositio causa; ex qua aliquid speratur; non verò bonitas eius cui speratur, nisi fortè ex hac bonitate resultet dispositio peculiaris aliqua in eadem illa causa. Nonnulla alia adiciuntur contra hunc dicendi modum, inter exponendum Charitatem.

QVÆSTIO XXXIV.

*Vtrum Spei conueniant definitio,
& proprietates proportionales Fidei?*

VIDETUR non conuenire. 1. Quia fides pertinet ad intellectum; & spes ad voluntatem; atque adeo sunt in diuerso genere constitutæ. Ea autem, quæ sunt generis diuersi, nullam inter se seruant proportionem quoad essentiam, & proprietates.

2. Fides dicitur non apparentium: Spes autem est eorum, quæ apparent per ipsam fidem. Rursus fidei conuenit esse argumentum; nihil autem simile argumento reperitur in modo, quo spes amplectitur suum, obiectum. Quia nihil est, quod se habeat, aut veluti antecedens, aut veluti consequens. Ergo definitiones vtriusque sunt omnino improporcionales.

3. Omnes actus fidei sunt eiusdem speciei, ut dictum est supra. Spei autem tribuuntur communiter plures actus specie distincti, nempe quatuor prosecutionis, & vnus fugæ. Quorum primus est amor concupiscentiæ, secundus desiderium, tertius spes, quartus delectatio, & quintus timor. Satis autem ex se apparet hos actus esse inter se diuersos, & modos tendendi illis conuenire minimè proportionales inter se; sed potius inuicem oppositos. Impossibile verò est actum non seruantes mutuam inter se proportionem, speciali aliqua proportionem nihilominus correspondere tertiæ alij speciei.

R. P. de Esparza Curs. Theol. Tom. I.

4. Spes est virtus moralis, quia consistit in medio inter præsumptionem & desperationem. De ratione namque virtutis moralis, prout condistincta à Theologica est medietas inter extrema vitiosa. Fides autem est virtus Theologica, ut dictum est; atque virtus Theologica excedit absque vlla proportionem virtutem quamlibet moralem, sicut obiectum formale illius excedit obiectum formale istius.

5. Fides est certa, ac infallibilis. Nulla autem imitatio certitudinis intellectualis conuenit spei; quia spes beatitudinis, quam habent reprobi, dum viuunt planè frustratur cum ipsi moriuntur; & tamen ea spes est eiusdem in illis rationis, atque in Prædestinatis. Patet autem spem frustrabilem non posse habere vllam veram imitationem cognitionis certæ, ac infallibilis.

6. Actus fidei sunt liberi libertate contradictionis, & contrarietatis. Actus autem spei neutra libertate sunt liberi. Certè libertate contrarietatis liberi esse non possunt. Quia qui non habet fidem pro priori natura non potest sperare, ut constat ex quæst. 32. Qui autem præhabet fidem non potest desperare. Quia qui desiderat aliquid, si deinde certò cognoscat adesse causam, quæ infallibiliter id inductura sit, cum certitudine, & infallibilitate vtroque metaphysica; Imò etsi solam habeat moralem certitudinem, de sola necessitate morali causa ad eum effectum; impossibile est, ut desperet de eius futuritione, quod per experientiam patet, & à priori. Quia eo ipso nullum proponitur motiui desperandi. Quicumque autem præhabet fidem, cognoscat certò, certitudine metaphysica æquivalente euidentiæ, & superante certitudinem moralem, Deum infallibiliter daturum esse beatitudinem, si per nos non steterit; ceteraque omnia præstiturum esse, quæ proponuntur, ut sperabilia. Atque hæc eadem præsupponuntur desiderata, implicite quidem per actum piæ affectionis, qui imperat fidem; formaliter verò, post fidem, & ante actum tam spei, quam desperationis. Est enim de ratione vtriusque, ut præsupponat desiderium, uti docet D. Thomas 1.2. q. 40. art. 4. ad 3. & alibi. Ergo retenta fide est impossibile desperare. Nunquam igitur dari potest simul, inæa potestas proxima sperandi, & desperandi, ac proinde actus spei non potest esse liber libertate contrarietatis. Patet autem actum liberum, & qui non est liber eadem libertate, non habere proportionalem, sed oppositum modum essendi in se, & attingendi obiectum.

Art. 1. Resp. Quod ad definitionem attinet Spei, eam non pauci Auctores vsurpant, quam tradit Magister in 3. dist. 26. & 27. init. aiens, *Spes est qua spiritalia, & æterna bona sperantur*; id est, *expectantur cum fiducia*. Et rursus: *Spes est certa expectatio futura beatitudinis, veniens ex Dei Gratia, & meritis præcedentibus, vel ipsam Spem, quam natura præstat Charitas, vel rem speratam; id est, beatitudinem æternam*. In quibus est aliquid, quod vltius desideretur. Nam in priori definitione, ita adhibetur Verbum, *Sperandi*, ut nihil per illud innotescere possit non præscienti, quid sit sperare; quod tamen ipsum perinde est, atque præscire quid sit Spes. Nec satisfacit expositio ibi subiuncta, *per expectationem cum fiducia*. Quia sperare, ut sic est indifferens ad expectationem cum fiducia, & sine illa. Plura enim homines ab hominibus sperant cum diffidentia. Plura item cum fiducia male fundata in actu vitioso. Quare fiducia est modus, quidam actus sperandi, non determinans ipsum ad speciem virtutis, ut liquet ex D. Thoma in hac 2. 2. quæst. 129. art. 6. præsertim ad 3.

Art. 2. Deinde, quod Spes restringatur ad spiritualia, & æterna bona, non videtur legitime factum; quia bona etiam temporalia, possunt per Spem Theologicam sperari, sicut possunt à Deo promitti, & sapè

de facto promissa sunt, maximè in veteri Testamento. Et sanè certissimum apparet, differentiam essentialem Spei Theologicæ à spe acquisita non desumi ex rebus speratis, sed ex motiuo sperandi, ut constat ex quæst. præcedent. redditurque manifestum paritate fidei Theologicæ, quam omnes incunctanter distinguunt à fide acquisita, non ex rebus creditis, sed ex motiuo credendi. Et quis dubitet, spem Pelagianam innixam libero arbitrio, & causis naturalibus, non fuisse spem Theologicam; tametsi eandem beatitudinem speraret, quæ speratur spe Theologica?

Art. 3. Iam posterior definitio, potius est descriptio, quàm definitio; & incidit in eandem difficultatem, quatenus spes dicitur expectatio futuræ beatitudinis, cum re ipsa per spem Theologicam, expectetur promiscuè quicquid promittitur à Deo. Quod mox additur, *Veniens ex Dei gratiâ & meritis præcedentibus*, placere nequaquam potest, ut iacet. Quia spes est expectatio non minus ipsius Gratiæ, & meritorum, quàm beatitudinis. Nec debuerit illa duo poni, ut motiuum sperandi; maximè cum sint quid creatum, idèoque non possint esse causa obiectiua sperandi, per spem Theologicam; licet sint causa proxima beatitudinis, quæ speratur.

Art. 4. His igitur aliisque similibus prætermisissis, cum spes sit simillima fidei, ut dictum est q. præced. quoad motiuum formale, ex quo pendet quidditas, & definitio virtutis, satius est inhaerere, quoad definitionem spei, vestigiis D. Pauli, & cæterorum deinceps omnium circa fidem, quàm constet diligentius, & exactius expositam esse à Theologis, quàm spem. Dicatur igitur spes, iuxta eam, quæ dicta sunt de fide ex Apostolo quæst. 30. *Divina dilectionis fundamentum, & firmitas Voluntatis circa bona à Deo promissa*: Vel ex imitatione D. Thomæ ibidem. *Spes est habitus, quo inchoatur divina dilectio in nobis, faciens Voluntatem firmiter adherere donis à Deo promissis*: Vel ad instar alterius nostræ definitionis ibidem. *Est appetitus futurorum bonorum propter divinam potentiam illa promittentem*. Dicitur spes in priori definitione, *divina dilectionis fundamentum*. Quia ut docet D. Thomas in præsent. q. 18. art. 4. *Spes introducit ad Charitatem, in quantum aliquis sperans remunerari à Deo accenditur ad amandum Deum*. Nempe ordine generationis prius est imperfectum perfectio; atque spes est imperfecta comparatione Charitatis. Quia itidem ratione Timor disponit ad Charitatem, estque eadem prior eodem ordine generationis, ut docet Aug. tract. 9. in Canon. Ioann. ad med. Constat deinde facilius, ac proinde prius, vnumquemque adherere sibi, & aliis quatenus valentibus inducere aliquod suum bonum, quàm sumus in hoc statu imperfectissimo; atque inde promoveri ad affectum generosiores circa alterum, propter ipsum, ut bonum ipsi, atque in se perfectum. Quare ad eum modum, quo fides disponit ad sperandum de Deo, spes disponit ad diligendum Deum. Eadem igitur ratione, qua fides dicitur à Paulo, sperandarum substantia rerum dicitur quoque Spes, Fundamentum seu substantia divinæ dilectionis.

Art. 5. Dicitur rursus spes, *Firmitas Voluntatis circa bona à Deo promissa*, non secus, ac Fides dicitur, Argumentum non apparentium. Quia sicut fides facit firmiter adherere intellectum rebus non apparentibus, absque vlla prorsus formidine, de possibilitate oppositi; atque eiusmodi effectus formalis, non aliunde provenire potest, circa non apparentia, quàm ab infinita Dei Auctoritate; Ita etiam spes facit pari firmitate adherere bonis à Deo promissis, absque vlla formidine affectiua, & absque villo diffidentiae genere, atque huiusmodi effectus formalis, non aliunde provenire potest, quàm ab infinita Dei potentia nobis per suam immobilem promissionem illigata, inim-

pedibili proinde à alio: quatenus est omnipotens, & ab ipso Deo, quatenus eius promissio est immutabilis. Quæ est iusta correspondentia ad primam veritatem, quæ nec falli potest, nec potest velle fallere. Posterior ista pars definitionis pertinet potissimum ad quidditatem spei. Nempe prior pars est potius loco descriptionis, & adhibetur maioris claritatis gratia, atque ex parte communis desiderio præeunti ad spem; propterea etiam observatum proportionaliter est, agendo de fide, ubi supra. Quia de causa in posteriori nostra definitione, solum ponitur, Appetitus futurorum bonorum propter divinam potentiam illa promittentem.

Art. 6. Vbi advertendum est firmitatem appetitus expressam sub ea ipsa voce, in duplici priori definitione exprimi virtualiter, & omnino æquivalenter in ista posteriori, dum adicitur, *Propter divinam potentiam illa promittentem*: Quia sicut superius notatum est, formidantem circa Veritates à Deo revelatas, eo ipso subiacere intellectum alicui motiuo, & rationi humanæ distinctæ à divina auctoritate, quæ quantum est de se, non est apta gignere vllam formidinem; sed magis omnimodam certitudinem: Ita etiam manifestum est appetentem diffidenter bona futura pendente à divina promissione, subiacere voluntatem motiuo, & inclinationi alicui humanæ. Quia divina promissio propter sui inimpeditibilitatem physicam ex parte potentiæ actiue, & moralem infallibilitatem essentialem, quantum attinet ad Fidelitatem, non nisi fidelissimam, & ab omni formidine, omni diffidentia participio liberam appetitionem gignere potest, si se sola moueat ad appetendum dependenter à fide divina.

Art. 7. Ex his igitur manifestum est, spem Theologicam in se continere perfectissimam, atque omnibus numeris absolutam imitationem Fidei Theologicæ, quoad suum conceptum quidditativum, & legitimam expressivam ipsius definitionem. Quia verò conceptus quidditativus in vnaquaque re est radix cæterorum prædicatorum, omniumque proprietatum convenientium eidem, dubitandum non est, quin existente tanta inter fidem, & spem similitudine, ac proportionem mutua, quoad conceptum quidditativum, & definitionem vtriusque tantum inter se conveniant, quoad prædicata cætera, omnesque ipsarum proprietates, ut necesse non sit quidquam, aut vix aliquid necesse sit circa singula denuò disputare de Spe; Sed possint omnia ad eam transferri proportionem servata, quæ fuit supra dicta sunt de fide. Adicitur nihilominus aliquid maioris claritatis gratia, inter respondendum ad rationes dubitandi.

Ad 1. Actus intellectus, & voluntatis non pertinent ad diuersa genera inuicem disparata, sed quorum alterum alteri subordinatur; & ad imitationem eiusdem executioni mandatur, ut traditur 6. Ethic. c. 2. & inde à D. Thoma in præsent. q. 20. art. 1. Vnde fit, ut simplices complacentiæ Voluntatis, Amor, & Odium, Actus imperantes, & imperati iuste correspondent simplicibus apprehensionibus intellectus, affirmationi, & negationi; præmissis, & conclusioni, ut nihil dicatur in præsent. de occultioribus, mirabiliter vsque ad ultimas fibras irrepentibus, imitationibus. Non igitur propterea non potest spes habere naturam, & proprietates proportionatas, Naturæ, & proprietatibus Fidei; quia pertinent ad genera diuersa; sed magis oportet eam proportionem interesse; quia spes pertinet ad genus subordinatum generi, in quo continetur fides; atque illa huic specialiter, ac determinatè subordinatur, ut potè ex eius directione, & inclinatione, suborta.

Ad 2. Dictum est supra, q. 30. quæ cognoscuntur per fidem esse non apparentia in sensu composito ipsius fidei.

fidei, & non solum, antequam cognoscantur per fidem. Ergo spes non propterea non versatur circa non apparentia, quia dirigitur per fidem; Sed potius ideo circa non apparentia versatur, quia dirigitur sola fide, & inde habet specialem vim meritoriam. Quia perinde amplectitur firmiter, & inhaesit, quae apparent obscure, hoc est quodammodo non apparent, atque si cognoscerentur euidenter, atque haberentur immediate sub ipso conspectu oculorum. Vnde etiam apparet non deesse spei, quod consonet Argumento Fidei. Quod enim dat firmitatem, & adhaesionem modo dictam Voluntati, non potest non aequivalere argumento excludenti formidinem ab intellectu.

Art. 1. Ad 3. Franc. Amicus, & nonnulli alij, ita exponunt quinque illos actus communiter attributos spei, ut existimare omnino videantur, virtutem spei posse vnum quemlibet ex illis elicere seorsim distinctum specie à reliquis. Verum hæc existimatio est falsa. Quia eiusmodi actus, quatenus inuicem specie distincti, respiciunt obiecta formalia distincta specie. Amor enim concupiscentiae fertur in proprium bonum, præcindendo à reliquis, facilitate, & arduitate; Desiderium amplectitur idem bonum proprium, ut absens cum simili præcisione ab arduitate: Spes adiicit arduitate, & bonum præsens illi superandæ sufficiens; Delectatio incumbit bono præsentis præcisè, ut præsentis: Timor refugit malum, imminens, & adhaeret bono quatenus depulsiuo illius: Atque hæc sunt Obiecta formalia propria, & peculiaria eorum actuum, quæ constat esse inter se specie distincta. Dictum autem est obiectum formale adequatum Spei Theologicæ esse vnicum, & indiuisibile.

Art. 2. Dicendum igitur est consequenter omnes actus spei Theologicæ, esse eiusdem infimæ speciei, quoad totam perfectionem substantialem eorum propriam, cum sola aliqua diuersitate Logica; sicut dictum est de actibus fidei præsertim q. 31. Atque ideo illos alios actus, qui attribuantur huic virtuti, omnes per quandam solum participationem reperiri, in omni, & quolibet actu eiusdem virtutis. Reperiuntur nimirum, Amor quidem, quatenus actus spei est vera prosecutio sui obiecti formalis, & materialis, atque affectiva coniunctio cum illo; Desiderium quia idem actus est vera appetitio futurorum bonorum: Delectatio, quia obiectum eius formale est bonum verè præsens, & cognitum, ut tale, licet cum ordine ad futurum arduum; per quem ordinem constituitur formaliter in ratione spei. Timor denique quia prosecutio modo dicta futurorum bonorum virtualiter est fuga malorum oppositorum. Cæterum quia hæc omnia præstat virtus spei per adhaesionem ad vnum, atque idem indiuisibile obiectum formale, non est capax eliciendi seorsim illos actus attingendo ratione sui obiecta formalia cuiusque illorum propria.

Ad 4. Medietas propriæ virtutis moralis versatur inter extrema homogenea cum ipso medio; id est inter plus, & minus in materia eiusdem physicæ rationis, cum ea, quam eligit virtus, ut liquet ex. gr. in Temperantia, & Fortitudine, eligentibus medietatem iuxta regulam morum in voluptatibus, & terribilibus, quæ sunt obiectum proprium ipsarum. Spes autem, quia versatur circa ipsam regulam morum, tanquam obiectum suum proprium, non constituit similiter medium in propria materia. Nec enim potest regulæ ipsi nimis adherere, aut nimis sperare de Deo secundum se. Extrema igitur opposita virtuti spei, sunt extra propriam eius materiam; peccatur enim contra illam non adherendo, aut fidendo nimis potentia, & promissioni Dei; sed præsumendo per proprias vires, quæ cuiusque vires superant; vel desperando de iis, quæ intra illas continentur cum auxilio diuino. Est

R. P. de Esparza Curs. Theol. Tom. I.

igitur Spes Virtus Theologica, non minus, quam Fides, idque patet ex dictis, de vtriusque motiuo.

Art. 1. Ad 5. Non solum imitatio certitudinis, sed certitudo etiam ipsa tribuitur spei, iuxta communem intelligentiam, 8. ad Timoth. 1. 12. *Scio cui credidi, & certus sum, quia potens est depositum meum seruare in illum diem.* Quod licet possit accipi de fide, accipitur tamen de spe, maiori cum fundamento, ut censent D. Thomas, & alij in eum locum. Idem habetur ex 1. ad Timoth. 6. 17. ubi iubet Apostolus sperare in Deo vivo, ne speretur in incerto. Eodem pertinet, quæ semel atque iterum suggerit idem Apostolus, & ex eo frequenter Sancti Patres de firmitate spei, & quod spes non confundat. Quapropter omnes Theologi consentiunt cum D. Thoma, in præsentis q. 18. art. 4. & cum Magistro apud eundem, spem Theologicam esse certam, translata ea voce de fide ad spem propter similitudinem, atque imitationem ratione firmitatis, ut expositum est supra. Nempe quæ sunt communia aut inter se affinia in actibus intellectus, & voluntatis, familiare est, ut significantur voce iuxta propriam significationem pertinente ad actus intellectus; quia sunt notiores, & priores, cum manifestentur per se ipsos, & dirigant actus voluntatis.

Art. 2. Ad id, quod dicitur de spe reproborum, sciendum est Deum promittere aliqua independentem à nostra cooperatione, ut assistentiam per auxilia actualia Gratiæ, & circa hæc spes nostra est essentialiter infrustrabilis, tam materialiter, quam formaliter. Quædam verò alia promittit Deus præstanda dependentem à nostra cooperatione, sicut iustificationem, & glorificationem; & circa hæc contingit spem nostram materialiter frustrari, ob defectum nostræ cooperationis, qui impedit quo minus obtineamus bona sperata. Cæterum nunquam contingit spem Theologicam formaliter frustrari; siue in prædestinatis, siue in reprobis. Quia sperat ea bona sicut promittuntur à Deo; nimirum conditionatè, aut disiunctiue, sub hac conditione, & disiunctione, si per nos non steterit, aut vel ipsum esse daturum, vel nos esse impedituros per peccatum. Non igitur deest spei firmitas imitatrix certitudinis Fidei.

Art. 1. Ad 6. Desiderium in primis veræ & supernaturalis Beatitudinis, quatenus talis determinatè, præsuppositum ad actum tam spei, quam desperationis, non est efficax, nec vlla ratione conuincitur debere esse efficax. Sufficit enim simplex complacentia, & desiderium inefficax ad concipiendum actum efficacem spei, ut euenit in actibus aliarum etiam virtutum. Desiderium verò bonorum sperabilium, quod antecedit ad actum fidei, eumque imperat, est quidem efficax; sed attingit confusè tantum, & indistinctè eadem bona, ut dictum est supra. Cohæret autem cum prosecutione alicuius obiecti, indistinctè prius representati recessus ab eodem secundum conceptum distinctum, ac determinatum, ut apparet, in peccatoribus volentibus Beatitudinem, ut sic, & contemnentes id in quo determinatè Beatitudo consistit re ipsa.

Art. 2. Deinde inter certitudinem scientiæ, & fidei de motiuo sperandi intercedit hoc discrimen, quod scientia ita facit quiescere intellectum in veritate cognita, ut excludat omnem eius motum in contrarium. Fides verò nequaquam, quia intellectus dum credit tenetur captiuus terminis alienis, & iudicat ad modum formidantis, ut ex D. Thoma notatum est supra. Quia de causa obiectum propositum per fidem habet arduitate non solum ex perfectione sua superante vires nostras, & ex contingentia conditionis defectibilis; sed etiam ex hoc ipso, quod proponatur per fidem; quia arduum est tendere in bonum propositum obscure, & cum ratione retrahente ab assensu possibilitatis, aut existentia eius. Ex hoc discrimine

CCc 3 prone

provenit, ut qui euidenter cognoscit ex aliqua causa prouenturum esse sibi infallibiliter aliquod bonum, non possit de tali bono desperare; quia nullus potest confingere motus in intellectu impellens ad desperandum: Imò nec sperare propè potest, quia tale bonum non habet arduum respectu habentis talem cognitionem, sed confidetur, ut præsens quodammodo, & iam habitum, atque ut tale parit gaudium expers sollicitudinis. Eadem est ratio de certitudine morali naturaliter habita, si comparatur cum impossibilitate morali desperandi.

Art. 3. At ob rationem contrariam desperare potest, qui per fidem cognoscit causam infallibilem boni desiderati; quia scilicet cum certitudine fidei coniungitur motus intellectus in contrarium, ex rationibus naturalibus illi resistentibus; atque is motus coniunctus cum propositione commodi temporalis, contradicenti similiter assensui fidei, & prosecutioni bonorum, quæ proponit fides, gignere facile potest desperationem in animo nimium ad luxuriam, vel accidiam propensam, quæ duæ sunt præcipuæ radices, & causæ desperandi, ut docet D. Thomas in præfati q. 20. art. 4. Neutro igitur ex capite deest actui spei libertas, aut contradictionis, aut contrarietatis. Nam in obiectione confunditur desiderium inefficax, cum efficaci, & confusum, ac indeterminatum, cum distincto, & determinato; Et similiter confunditur certitudo fidei, cum certitudine euidentiae.

QVÆSTIO XXXV.

Utrum sit liber ad sperandum, cui reuelata est propria reprobatio?

IDEATUR esse. 1. Quia ea reuelatio non aufert motuum spei, nec auxilia necessaria ad actum sperandi. Sicut enim stante promissione Dei de vita æterna, & habitis auxiliis gratiæ necessariis potest homo mori in peccato, & damnari; ita hoc futurum esse cognoscit Deus, & consequenter reuelare potest, stante eadem hypothese. Potest igitur sperare beatitudinem is, cui reuelata est sua reprobatio.

2. D. Petrus in sensu composito reuelationis de sua negatione, & peccato futuro retinuit libertatem ad non negandum Christum Dominum; & ad vitandum illud peccatum. Ergo is, cui reuelata esset sua reprobatio in sensu composito talis reuelationis retineret libertatem ad sperandum, & obtinendum beatitudinem. Patet consequentia. Quia hæc posterior reuelatio non est magis impossibilis cum hoc opere posteriori, quam prior illa reuelatio cum illo priori opere. Ergo neque cum possibilitate operis est magis impossibilis.

3. Deus potest reuelare homini viatori suam æternam damnationem; quia Deus potest dicere, ac reuelare, quidquid scit, cuiusque voluerit. Homini autem viatori, ut viatori inest inseparabiliter obligatio, ac per consequens libertas sperandi; sicut, & procurandi per bona opera suam beatitudinem. Hoc enim sublato, non est amplius viator, seu tendens in patriam. Ergo componi possunt in eodem reuelatio æternæ damnationis, & spes æternæ beatitudinis.

4. Reprobatio hominis, ac proinde, & reuelatio reprobationis est quid consequens ad liberam electionem humanam; quandoquidem est impediibilis per violationem peccatorum. Quod autem est consequens ad libertatem humanam, non potest nocere libertati hominis. Ergo reuelatio reprobationis, non secus,

ac ipsa reprobatio secundum se relinquit integram libertatem, sicut est ex sua natura, non minus ad sperandum quam ad quilibet aliud.

Art. 1. Resp. Negant possibilem huiusmodi reuelationem respectu hominis viatoris D. Bonavent. Altifiodoren. Argentin. & alij. Eaque supposita per impossibile, censent dari, & non dari libertatem ad desperationem; eandemque desperationem fore, & non fore peccaminosam. Lufius Turrianus & Francisc. Amicus cum alijs tuentur possibilitatem eius reuelationis, & ipsa posita negant libertatem sperandi; simul tamen affirmant obligationem non desperandi. Alij cum Coninch consentiunt his auctoribus quoad reliqua, negata solum possibilitate talis reuelationis respectu iusti, dum iustus est; tamen postea sit peccator, & damnandus. Et quidem quoad possibilitatem huius reuelationis, videtur aperte suffragari his auctoribus D. Thomas quæst. 28. de verit. art. 8. ad 2. dicens: *Quod Deus de potentia absoluta possit reuelare suam damnationem alicui; licet non possit de potentia ordinaria; quia talis reuelatio cogeret eum desperare.*

Art. 2. Dicendum in primis est cum D. Bonaventura. Reuelationem æternæ damnationis esse impossibilem essentialiter cum statu viatoris. 1. Quia status æternæ damnationis est essentialiter impossibilis cum statu viatoris. Sed reuelatio æternæ damnationis constituit in statu æternæ damnationis; ergo est impossibilis essentialiter cum statu viatoris. Patet maior, quia esse in termino essentialiter immutabili per totam æternitatem, qualis terminus est status æternæ damnationis; simulque esse in via, id est, habere aptitudinem euadendi eum terminum, & perueniendi ad terminum contradictorium, manifeste sunt impossibilia. Probatur minor, quia pena damni, per quam primario, & essentialiter constituitur status æternæ damnationis, consistit in manifestatione, ac intimatione sententiæ supremi iudicis, de æterna eadem damnatione, & æterna visionis Dei priuatione. Fieret autem ea manifestatio, & intimatio per eiusmodi reuelationem.

Art. 3. Pro claritate huius rationis, notandum est discrimen damnationis à Prædestinatione, & notitiæ vnius à notitiæ alterius. Cum enim effectus prædestinationis sit positivus potest dari eius notitia ante eundem effectum; hoc est ante visionem Dei, & statum beatitudinis, nec enim repugnat aliquid prævideri, antequam sit. Quia verò status damnationis, quoad suum conceptum essentialem constituitur per priuationem beatitudinis, atque priuatio qualibet est essentialiter inseparabilis, à quolibet ente positivo essentialiter impossibili cum termino, quo priuatur, patet notitiam infallibilem æternæ damnationis, qualis notitia est, quæ fundatur in reuelatione Dei, esse inseparabilem essentialiter ab eadem æterna damnatione; quia est essentialiter impossibilis cum æterna beatitudine: ac proinde non posse eam notitiam existere, ante ipsam damnationem passivam, & statum supremæ infelicitatis afficientis intrinsecè, & ex tunc reddentis infelicem, sicut potest infallibilis notitia prædestinationis existere ante beatitudinem, quia hæc est distincta, & separabilis à sui notitia intrinsecè certa; illa verò nequaquam.

Art. 4. Probatur rursus eadem implicantia. Quia ea reuelatio, nec esset credibilis, nec incredibilis respectu viatoris, cui fieret. Non esset incredibilis, quia eo ipso daretur locutio diuina inepta, & insipiens, sicut locutio ad surdum. Nec esset credibilis, quia eius fides, siquidem esset propria viatoris, esset meritoria Gloriæ, vel de condigno, vel de congruo; prove contingeret eum viatorem esse iustum, vel iniustum. Neutro autem modo meritoria esse posset; quia essentialiter penderet à reuelatione, quæ redderetur fallax.